


Google


SIGILLVM·VNIVERSITATIS·CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS



Nobbe

PROGRAMMA

QUO

SCHOLA NICOLAITANA LIPSIENSIS

DIE VI. MENSIS DECEMBRIS HORA IX.

NICOLAO IN FASTIS INSCRIPTO

SACRA ANNIVERSARIA

HOC ANNO CH. MDCCCXXXVIII.

INCLUTI

HENRICI BLÜMNERI

SUI OLIM DISCIPULI

ET POSTEA DE REBUS SUIS OPTIME MERITI

INNOVANDIS SEMISAECULARIBUS

SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS

AUSPICATISSIMA

RECITATIONIBUS SCHOLASTICIS

RITE OBEUNDA

INDICIT.

Inest C. F. A. Nobbii Philos. D. et in acad. Prof. Eo. scholae Nic. Rectoris Litteratura Geographiae Ptolemaeeae.

LIPSIAE,

TYPIS CAROLI TAUCHNITII

1838.

BREMER

VIRO SUMMO

LITTERATISSIMO

ET

LIBERALISSIMO

HENRICO BLÜMNERO

DOCTORI PHILOSOPHIAE

ANTE HOS IV ANNOS

GEMINATIS HONORIBUS

AUCTO

DYNASTAE
GROSSZSCHOCHERANORUM WINDORFIENSIUM
FROHBURGENSIUM ET KLEINESCHEFELDENSIUM
REGI SAXONIAE AUGUSTISSIMO
A SUPREMAE NUPER CURIAE AULICAE CONSILIIS:
REGII ORDINIS VIRTUTIS CIVICAE EQUITI:
PRO PRAESIDE ORDINUM AGRI LIPSICI LEGATORUM:
CIVITATIS LIPSIENSIS
NUPER PROCONSULI: BIBLIOTHECAE PRAEFECTO
SUMMO:
ET TRIUMVIRO CONSTITUENDAE ET REGENDAE
REI SCHOLASTICAE:
SOCIETATUM LIPSIENSIUM
TEUTONICAE POLYTECHNICAE ET TECHNICAE
AC THURINGORUM ARCHAEOLOGICAE
SODALI:
SCHOLAE NICOLAITANAE
QUONDAM ALUMNO: TUM PATRONO
POSTEA CONSERVATORI:
FAUTORI OPTIMO:

SUMMIS

UTRIUSQUE IURIS HONORIBUS

PER L ANNOS

MAXIMA CUM LAUDE PERFUNCTO

ITERUM

IN SPEM DIU FUTURI SPLENDORIS

ORNATO

FELICITATEM MEMORIAE

ET

FESTI DIEI LAETITIAM

SENATUS LIPSIENSIS BONORUMQUE OMNIUM

APPLAUSU AUCTAM

LAETABUNDI

PIE CONGRATULANTUR

SCHOLAE NICOLAITANAE

RECTOR ET COLLEGAE

COMMENTATORI

SOPHOCLEI OEDIPI REGIS MEDEAE

EURIPIDEAE ETC.

Felix viator culmina montium,
    Blümnere, tangis non trepido pede,
Longum remetiens meatum,
    Vix bene luminibus patentem.

Retro tuenti regna patent tria,
    Regnata magnis singula regibus,
Quorum potestas omne in aevum
    Dividuis opibus valebit.

Audin loquacis suavia somnia
    Nutricis, olim dicere fabulas
Priscas iuventuti novatas
    Atque brevi renovare suetae?

Quid? nonne sentis hic Tibi Gratias
    Vincire nexis tempora floribus?
Diu recusatam coronam
    Imposuisse Tibi triumphant:

Venere crebrae tres Tibi nuntiae,
    Divae ferentes munera Palladis,
Te met sacerdotem vocantis
    In sua regna, ubi iuncta Phoebo

Euripideam visere Colchidem

Horret, nisi TU tristia mollias,

Ac TE manet vates, beatum

Qui docuit iacuisse regem

Thebis, dolentem linquere livido

Sceptrum Creonti, quod sibi callide

Plebs tradidisset civitatem

Faucibus eripuisse monstri.

Istic revisis regna, ubi Gnosius

Heros Solones consilio suo

Coegit emendare leges,

Pignora certa beatioris

Aevi futuri Saxonibus TUIS,
Quas gloriatis gignere filias,
Non ultimum, BLÜMNERE, nomen
Patribus associasse gaudes.

Hic TE iuvabit regna tuerier
Angusta, paucis condita civibus,
Quos temperat regina Virtus
Imperioque facit beatos.

Hic otiosas necte moras diu,
Alterque Zeno terrigenas doce,
Virtute germana vigentis
Pectoris esse beatitatem.

N.

PROOEMIUM.

Ex quo Ptolemaei geographiam edere cogito, multos saepe audio conqueri, quod aetas nostra librorum eius saltim Graece scriptorum paucitate vel penuria laboret, aut oratio scriptoris iis maxime nominum et numerorum inquinata sit vitiis, quibus non nisi multitudine codicum vel aliorum geographorum usu medicina afferri queat. Illa autem de codicum Graecorum paucitate opinio, nisi fallor, a Raidelio orta est, quod hic in Commentatione de Claudii Ptolemaei geographia eiusque codd. Mss. et typis expressis anno MDCCXXXVII. alios olim cognitos pessumivisse scribit, alios superesse non nisi coniicit, alios leviter et paucos tantum accurate describit. In deperditis Fettichii Ingolstadtiensis, Pici Mirandolani, Grimanii Veneti libros numerat, Florentinorum tres et Romanorum quinque tantum novit, in Gallia autem Coisliniano plures esse opinatur. Iam nuper quidem (a. CIƆIƆCCCXXXIII) Sicklerus decem esse Parisienses e Catalogo Mss. bibliothecae regiae docuit, alios alias esse aliunde est cognitum. Nemo autem hactenus ostendit, quot codicum classes constituendae viderentur, quo facilius posset intelligi, multitudine exemplorum non orationis integritatem restitui, sed de veritate scripturae editorum iudicium facile confundi. Atquin editio Bertiana luculenter monstrat, in duas classes revocandos videri Graecos codices, sive ex duobus potissimum fontibus fluxisse ceteros. Quandoquidem enim Bertius cum reliquis editoribus superioribus Graecam Erasmi recensionem anni CIƆIƆXXXIII. repetivit, e regione autem interpretationem Latinam posuit,

antiquiorum interpretum vestigia secutus, a quibus nonnulla tribuuntur, quae non in Fettichiano codice scripta fuisse videntur: apud nostrorum quosdam de Latinorum codicum interpolationibus, apud alios de Graecorum lacunis suspicio nata est. Quodsi copiosiores illi codices Graeci, Latinorum codicum fontes, vere sunt interpolati: non pauci quidem sunt illi, nedum unus ille olim Ingolstadtiensis. Antiquae sanequam esset originis ista interpolatio. Quae cuiusmodi sit, ex illis Latinorum codicum supplementis potest perspici, quibus caret Graeca Bertii oratio. Ex his ut ipse cognoscere studui, cuius quisque liber esset familiae, ita, ut idem facerent amici, rogavi. (Vide quae scripsi Progr. a. CIƆIƆCCCXXXVII. p. 9. sqq. Horum igitur ex litteris intellexi non paucos iisdem verbis concepta illa supplementa complecti, quae in libris editis et multis etiam codicibus Mss., ut Parisinis omnibus, desiderarentur. Alteram igitur eorum classem, qui cum Latinorum interpretum codicibus consentiunt, Latinam dixerim, alteram Graecam, quae libris Graece editis congruit. Quae quum ita essent, non supervacaneum esse duxi iam nunc ostendere, et qui libri sive Graece sive Latine scripti vel editi, et quae reliqua essent hodie his in locis cognoscendae Ptolemaei geographiae et emendandae subsidia. Eo minus autem actum agere mihi visus sum, si de his eorumque classibus scriberem, quod de codicibus ceterisque scriptis parum, de eorum discriminibus nihil scriptum esse noram, aut perperam. Sic enim dispares vidi comparari cum disparibus, v. c. Coislinianum Venetum et alios. Neque vero propositum erat de singulis cuiusque bibliothecae libris Mss. dicere, de quibus iudicium ampliandum putabam, sperans, fore, ut, quae nunc deessent, in maiore editione aliquando copiosius explicandi potestatem nancisceror. Alia enim meae editioni reservanda existimabam, alia me etiam accuratius et rectius cognoscere posse et intelligebam et cupiebam. Ubi vero de Graecis libris expositum fuerit, de ceteris ordine deinceps dicam.

I. Codices Graece scripti.

A.) Italici.

a.) *Romani.*

Romae opinione plures sunt codices Geographiae Ptolemaei Graece scripti. Iam Raidelius in Commentatione critico-litteraria de Cl. Ptolemaei Geographia eiusque codicibus etc. (anno 1737. edita) pp. 14. et 16. sqq. in Vaticana complura latitare exempla Mss. intellexerat, I. D. Koelerum, Sylburgium, Bertium et editionis Wechelianae Lipsiense exemplum secutus. In hoc quidem ad minimum quattuor codicum lectiones incertum, a quo, quando et quo in loco notatae sunt ad marginem. In his bini Vatt. aliquoties memorantur, quorum unus numero 177. signatus p. 180. dicitur, alter minor p. 186. (Vid. quae de his scripsi in Naumanni mei Catalogo Libror. Mss. bibl. sen. Lips. pag. 7.) Sunt autem, ut nunc mihi constat, quinque Vaticani, numeris 176. 177. 178. 191. et 193. insigniti. Ex his igitur, ut amicus quidam mihi nuper retulit, in istis aliisque libris excutiendis aliquamdiu diligenter versatus, qui cum variis Lipsiensis exempli lectionibus valde conspirat, numerum 191. praefert. Praeterea in eadem bibliotheca Vaticana duo sunt, qui Palatini vocantur, ex Heidelbergensi bibliotheca istuc olim delati (cf. Sylburg. Monumentt. pietatis ac litt. T. I. p. 94. et 123. ed. Francof.) quorum alter Michaelis Apostolii manu post fugam Graecorum in Italiam, alter a Ducae notario scriptus est: iidem etiam hodie numeros 314. et

388. obtinent. Ex hoc posteriore vulgata olim videtur Graeca oratio: tantum haec cum illo congruit, ut is ipse Fettichii Ingolstadtiensis olim fuisse putandus sit: (vid. Sylburg. Monum. piet. p. 123.) Itaque quae in Bertiana editione et Wechelianae exemplo Lipsiensi memoratur Palatina lectio, ea alteri Palatino i. e. 314. accepta referenda est. Scholia autem e codice 388. sunt addita. Bertius vero in his maxime Fr. Sylburgium secutus esse dicitur, auctorem indicis variarum utriusque codicis lectionum, cuius anno MDXLVI. confecti exemplum in Lugdunensi bibliotheca superest. Ex quo utrum collatio Lipsiensis fluxerit, nec ne, non habeo dicere: quamquam Bertianus et Lipsiensis codic. Pal. census mirum in modum ubique fere consentiunt. Porro ibidem exstant Urbin. 82. et 83. denique etiam Reg. (Christinae) 66. Hi boni esse omnes dicuntur codices, et in iis duo saeculi XIII. longe praestantissimi; sed de his ab amico collatis et de eius in me studio alias dicam. Nunc quidem monuisse satis erit, duas esse codicum familias, unam orationis Graecae, alteram Latinae conformatione claram; utriusque vero unum esse de duobus illis libris longe omnium excellentissimis, atque alterum etiam Fettichiani simillimum. Nondum vero mihi compertum est, nec quis eorum sit codex Bembi, cuius post mortem Vaticanae illatus dicitur (cf. Raidel p. 14.) nec quis ex eorum numero codex fuerit Gemisti, qui in interpretationis Latinae usum anno 1478. a Domitio Calderino adhibitus esse dicitur. Nihil denique mihi innotuit de eo, qui in Wechelii exemplo Lipsiensi ad marginem saepe memoratur, libro bibliothecae Barberinianae, ad quam aditus ob malam custodum fidem abhinc triennio praeclusus esse fertur. Is vero, ut ex eodem exemplo Lipsiensi intelligitur, cum Palatino 314. maximam partem consentit, ubi dissentit, ubique fere vitiosa videtur referre. Postremo vero huius, opinor, est loci, memorare codicem Ptol. Geographiae Graecum bombycinum saeculo XIII. scriptum, qui in bibliotheca Camaldulensium S. Gregorii in monte Coelio a Zurla card., Gallis pulsis, nuper restituta exstat. Cf. Blumii Biblioth. librorum Mss. Italica p. 186. sqq.

b.) *Bononiensis.*

Bononiensis codex bibliothecae Canonicorum regularium S. Salvatoris, qui a Moutfauconio in Diario Italico p. 409. postea vero a Raidelio p. 14. memoratur, incertae aetatis esse dicitur. Sed haud scio an Bessarionis tempore ortus sit, quem Trapezunte natum, postea cardinalem Bononiae Graecis scriptoribus operam navasse, et, Constantinopoli a Turcis capta, medio saeculo XV. Graecos fugitivos in Italia ad litterarum suarum studia persequenda excitasse constat.

c.) *Florentini.*

Florentinorum codicum Graecorum numerum alii alium esse ferunt. Montfaucon in eadem bibliotheca Laurentiana non nisi duos codices, alterum bombycinum anno 1445., Demetrii manu scriptum, membranaceum aetatis incertae alterum se vidisse testatur Palaeogr. Graec. Lib. I. p. 79. et 92. Praeterea idem alium Florentinum bibliothecae monasterii b. Mariae membranaceum saeculo XV. scriptum in Diario Italico p. 368. commemorat. Hos tres tantum Montfauconianos Raidel pag. 13. enarrasse satis habet. Quamquam Montfaucon in Bibliotheca bibliothecarum, quam accuratius composuisse Furiae videtur, quinque se codices Laurentianos spectavisse narrat p. 237. In Laurentiana autem magni ducis bibliotheca plures umquam fuisse huius operis codices Graecos praeclarissimus del Furia negat, quam quot nunc sint, quattuor plutei XXIIX. nr. 9. 38. 42. 49. de quibus Bandinius in Catalogo Bibliothecae Mediceae Laurentianae Tom. II. pag. 19. 63. 64. et 72. memoriae prodidit. Quintus nuper demum accessit, qui olim fuit in bibliotheca abbatiae, a Montfauconio in Diar. Ital. p. 368. memoratus, Napoleone dominante deperditus, postea vero repertus ab ipso del Furia. Horum specimen superiore iam anno edidi, ex quo facile patet codicem 49. ceteris praeferendum videri, veramque esse Furiae de eo sententiam. Omnes autem eius sunt familiae, ex qua originem ducit Latina interpretatio. Eumdem Furiam si audimus, de sexto decimi saeculi

codice mera est fabula Montfauconii, qui bibliothecae opes declarare sibi proposuit, fugitivo autem stilo exposuit, atque de pluteis LXXXVIII tantum LXXVII perlustravit. Ceterum codex, qui nunc est plutei 28. numero 42., olim siglam 79. habuit, quam memorat Montfaucon, quo teste bombycinus fuisse dicitur, quamquam fili modo crassioris est papiraceus.

d.) *Veneti.*

Duo sunt Veneti codices Graeci in Scti Marci bibliotheca, ut testatur Theupolus in eius Mss. Graecor. Catalogo p. 185. Alter membranaceus, ut iam Montfaucon Bibl. bibll. p. 465. E et Raidel p. 10. sqq. scribunt, nuper autem, qui ipse librum viderat, amicissimus Böttigerus Erlangensis mihi narravit, picturis et auro nitidissimus fol. max. nr. 388. cum XXVII tabulis geographicis saeculo XII. aut XIII. scriptus putatur (v. Raidel l. l.). Theupolus eum tempore Bessarionis (nati a. 1395. mortui a. 1472. aut 73.) scriptum, cum Coisliniano valde conspirare dicit, aliquot lectionum communium indice addito. Sed si verum est, quod idem testatur, expleri in eo lacunas operis Graece editi, non est eiusdem familiae. Neque enim Coislinianus illas supplet. Alter autem chartaceus folii minoris nr. 516., qui Raidelio saeculo demum XIV., Theupolo autem iam XII. scriptus videtur, multis scribendi compendiis notabilior est et lectu difficilior, quam ut hoc ad saeculum referri queat. Huic adiunctae sunt tabulae geographicae; ut Montfaucon scribit Bibl. bibll. 475. E. non a Theone, sed a recentiore aliquo viro docto breviatae. Porro Raidelius p. 13. Grimanium quemdam patricium Venetum memorat olim habuisse codicem saeculi fere XV. eumque mutilum, testimonium secutus Montfauconii Itin. Ital. p. 40. (adde Bibl. bibliothecarum p. 478.) ubi vero codex hodie lateat, nesciri.

B.) Germanici.

In Germania unus nunc quidem est Graecus geographi nostri codex imperatoriae bibliothecae Vindobonensis. Ingol-

stadtiensis enim sive Fettichianus, ut dictum est, nisi intercidit, haud scio, an relatus sit in Italiam, in quam etiam Heidelbergenses sive Palatinos codices remissos esse accepimus.

Vindobonensis.

Vindobonensis codex folii maximi membranaceus unus splendidissimus, in Nesselii Catalogo Bibliothecae Caesareae *P. V.* p. 3., a Raidelio p. 10., a Fabricio Bibl. Graec. Vol. V. cap. 16. et a Kollario libr. 1. Suppl. ad Petr. Lambecii Commentarior. de Aug. Bibl. Caes. Vindob. libros VIII p. 568. maiorem in modum laudatus et inprimis idoneus habitus est, ad cuius fidem redigeretur Graecae orationis emendatio. Magnam enim fidem ei faciebat antiqua collatio, qua illustris Halley usus esse dicitur: vid. Raidel p. 10. Eiusdem specimen, quod Geogr. libr. II. cap. 11. sistit, primo a Kollario editum, a Sicklero redditum est p. 20. Progr. 1833. Eius accuratius cognoscendi mihi copiam fecit del Furia, qui aliquanto plura scripturae Vindobonensis et Florentinorum discrimina eiusdem loci, quem Thorlacius quoque, Krusius alii contulere, mecum communicavit. Nam ille quidem Viennensis, eodem Kollario teste, Florentiae anno 1454. a Joanne Thessalo Scutariota et scriptus et pictus est. Quamobrem vix cuiquam dubium videri potest, quin ex uno Florentinorum tamquam ex fonte sit deductus. Neque vero cum ullo eorum magis consentit, quam cum abbatiae codice. In utroque est, ut hoc quidem uno lib. II. cap. 11. exemplo utar, eo in loco illa praescriptio *Γερμανίας μεγάλης θέσις*, in ceteris Florentinis *μεγάλης* omittitur, item titulus, qui in his omnibus deest, *Γερμανία δευτέρα* in duobus illis exstat. Utriusque forma est *Ἀλίβιος*, ceterorum *Ἄλβιος* aut *Λάλβιος*. In utroque scribitur *Σημανοὺς ὕλη*, ceteris *Σημανὰ ὕλη* tribuentibus praeter 49. in quo est *Σημανοῦ ὕλη*. *Ἰγγρίωνες* in Vindobonensi *ουγκριωνες* in abb. codice *οἱ γκρίωνες* vocantur, reliquis in alia omnia discedentibus. Quid? quod etiam in manifestis vitiis uterque conspirat, ut *Ἄνοβα, ὧν τὰ ἄκρα ἐπέχουσι μοίρας* etc. reliquis omnibus *ἐπέχει* exhibentibus. In nonnullis quidem dissentiunt: v. c. *Χαλαίσου* Vindobonensis prae-

bet, abb. cum 38. 42. 49. *Χαλούσου*, 9. *Χαλύσου*. *Γαμβρήτου ὕλην* Vindob. *Γαβρήταγ ὕλην* abb. et 49. *Γωρήταν ὕλην* habent ceteri. Quae quum ita sint, Vindobonensis aut ex abbatiae Florentinae olim codice, aut uterque ex aliquo postea deperdito aut certe nobis incognito libro Florentino fluxisse mihi videtur.

C.) Gallici.

Lutetiae Parisiorum decem sunt in bibliotheca regia Geographiae Ptolemaeeae codices, de quibus quae sunt in Catalogo prodita, Sicklerus in Programmate anni 1833. cum Specimine codicis Fonteblandensis e Geographiae lib. II. cap. 11. proposito Hildburghusae vulgavit, et his paucula quaedam, quae ab Hasio acceperat, addidit. Eorum **primus** membranaceus, olim Fonteblandensis, numero 1401. octo libros complectens cum tabulis Agathodaemonis geographicis XXVI (non XXXVII.) longe pulcherrimus, saeculo decimo quarto scriptus esse in Catologo dicitur, Hasio antiquissimus et gravissimus videtur. De quo quum cl. Fixium rogassem ut me certiorem faceret: et supplementa lacunarum maiorum, de quibus, ut alias dictum est, sciscitari soleo, esse hoc in codice pariter ac tabulas, ut monitum est in Catalogo et in Sickleri programmate p. 6., numero triginta septem negavit, et XXVI dumtaxat inveniri ostendit. Cf. Sickler p. 8. De hoc ille etiam alia mihi accurate perscripsit, quae, ut arbitror, etiam aliorum intererit cognoscere. Codicem compositum esse formae maximae foliis LXXI praeter duo, unum a principio, alterum in fine, vacua, imperfectam libri octavi partem extremam relinquere, Italicae autem originis esse videri, quod in primo folio vacuo haec sint notata: fol. recto in supremo margine **della XXII.** (aut **XXIV.**) **cassa**, infra autem haec scripta: *Κλαυδίου Πτολεμαίου οἱ γεωγραφικοὶ πίνακες ἤγουν τὸ κείμενον μετὰ καί τινων διαγραμμάτων, τὰ δὲ λοιπὰ ὑφηρῆσθαι δοκεῖ.* Eidem paginae α′ et folio seq. 1803. i. e. antiquiorem voluminis numerum adscriptum esse. Folia Graecis numeris signari usque ad νθ′, in quo verso *Εὐρώπης πίναξ τέταρτος* incipiat. Reliqua

folia XII numeris carere, in folii XIII. pagina postica haec esse notata: *αὕτη ἡ βίβλος, τὸ πρὶν ἠμελημένη καὶ εἰκῇ κειμένη, φροντίδος τε ἠξίωται, καὶ εἰς τὸ εὐπρεπέστερον μετεσχηματίσθη ἔτει αχϛθ' ῳ ἑκατομβαιῶνος ἱσταμένου βασιλεύοντος μὲν Λοδοΐκου, τοῦ ΙΔ, τοῦ Μεγάλου, βιβλιοθήκης δὲ τῆς βασιλικῆς προεστῶτος Καμίλλου τοῦ Τελλερίου.* Primorum librorum septem orationem, quem textum dicunt, in singulis quibusque deinceps paginis binas columnas complere aequali spatio distantes; paginarum margines internos et externos vacuos esse, nisi quod emendationes ad librum I. scholia contineant. Folia *νβ'* vers. et *νγ'* rect. non perfectam tabulam generalem complecti, fol. *νγ'* vers. vacuum esse, inde a fol. *νδ'* rect. orationem libri VIII. inchoari binis columnis constructam. Inde a fol. *νε'* rect. *πίνακας* singulos in singulas paginas compingi, quod membranae defecerint. In oratione tabulae tertiae litteras nominum principales deesse, in sequentibus nunc addi, nunc omitti. Inter tabulam Europae VII. et Libyae tertiam medias omnes desiderari: statim post subiici *πίνακα τέταρτον καὶ τελευταῖον.* Folio *ξε'* vers. constitui *Ἀρχὴν Ἀσίας, πίνακα πρῶτον*, hic in capitibus Asiae propriae, Lyciae, Galatiae, Pamphyliae, Cappadociae, Ciliciae nomina Apameam, Miletum, Magnesiam, Cibyrrham, Andriacen, Limyram, Amisum, Pessinunta, Aspendum, Teemessum, Nicepolin, Adanam alia non tam mala fide scribentium, quam consilio tabulas compingendi esse omissa. Quod membranarum idoneus numerus non suppeteret, ne opus imperfectum esse appareret, media quaedam potius, quam extrema scribam transeunda duxisse. Hinc Asiae tabulas etiam tertiam, quintam et sextam excidisse. Lacunam vero in fine tab. VI. p. 243. ed. Bert. ita suppleri: *καὶ Παροπανισάδας καὶ Ἀρεία τῇ τε Παρθία καὶ μέρει τῆς ὑρκανίας θαλάσσης. ἀπὸ δὲ δύσεως μέρει τε Μηδίας καὶ ὑρκανίας θαλάσσης καὶ τὴν ἐν ἀσία σαρματίαν· ἀπὸ δὲ ἄρκτων ἀγνώστω γῇ. Τῶν μὲν οὖν ἐν τῇ Ὑρκανίᾳ δ. π. καὶ τ. λ.* Sic autem dativos sing. omnes non subscripto iota, et *ρρ* omissa utriusque spiritus nota hoc in codice legi. In eodem libro VIII. multam esse scripturae varietatem, complura additorum omissorum et luxatorum vocabulorum singulorum vestigia. Fol. *ξθ'* vers. *Ἀσίας πίναξ δωδέκατος*

ὁ καὶ τελευταῖος hoc segmentum sic claudi: *ἐφ' ἑκάτερα μοίρας, ἑβδομηκονταδύο· καὶ δίμοιρον ἔγγιστα* (p. 249. l. 4. Bert.) fol. *ο'* vers. hoc habere initium: *Αἵ δέ εἰσιν αἱ γνωσθεῖσαι ἐπαρχίαι ἢ σατραπίαι τῆς οἰκουμένης Εὐρώπης πίναξ πρῶτος* inscriptionis loco esse rubro colore pictum, et his verbis terminari: *πίναξ δωδέκατος ὁ καὶ τελευταῖος. Ταπροβάνη νῆσος· αἱ τῆς Ἀσίας ἐπαρχίαι μή πίνακες δώδεκα· ὡς γίνεσθαι τῆς ὅλης οἰκουμένης ἐπαρχίας ϞΔ' πίνακας κς'.* (fol. *οα'* rect.) In eadem pagina (*οα'* rect.) quae Bertius p. 251. habeat, statim subiici hoc modo, ut scholii tabella interponatur, a Coisl. 337. et Suppl. 119. exposita: *Ἰούνιος· παύνι* etc. *Μάϊος· παχὼν ♂ διδύμων· μοίρ. γ'.* In eiusdem paginae col. b: *Ἔκθεσις μήκους καὶ πλάτους ἑκάστου πίνακος· τῆς μὲν οὖν Εὐρώπης*, eiusque finem esse in fol. *οα'* vers. subiecta esse etiam hoc in codice verba: *ἐκ τῶν Κλαυδίου Πτολεμαίου γεωγραφικῶν βιβλίων ὀκτώ· τὴν οἰκουμένην πᾶσαν, ἀγαθὸς δαίμων, ἀλεξανδρεὺς μηχανικός, ὑπετύπωσα* et *ἐπίγραμμα εἰς Πτολεμαῖον*, cuius oratio nusquam, nisi vers. penult. in *ᾗσ* in hoc ceterisque a se inspectis codd. Mss. varietur. Haec, explanatius dicenda censui, ne de huius codicis tabulis geographicis et de libri octavi oratione tanta invalesceret existimatio, quanta fides, Hasio et Sicklero spondentibus, eius codicis testimonio de omni oratione haberi coepta esset.

Deinde **secundus** codex membranaceus nr. 1402., quo geographiae libri VIII continentur cum quinque tabulis geographicis, quae eidem Agathodaemoni auctori tribuuntur, saeculo XIV. confectus (in bibl. reg. Catalogo) censetur.

Tertius chartaceus, olim Jesuitarum, nunc reg. Suppl. nr. 119. Ptolemaei integrum opus exhibens, nisi quod initio est mutilus. Desunt enim aliquot versus usque ad verba: *ἔρχεται δὲ τὸ μὲν χωρογραφικὸν τέλος τῆς ἐπὶ μέρους προσβολῆς.* Is vero saeculo XV. descriptus iudicatur.

Quartus est reg. Coislinianus nr. 337. in quo totum opus est geographiae Ptolemaeeae, saeculo XIV. aut XV. scriptus, a Montfauconio accuratissime collatus. Quae collatio typis expressa est Parisiis anno 1715. in Catalogo Mss. Graecorum bibliothecae olim Seguerianae.

Quintus est chartaceus nr. 1403., libros VII primos continens, Michaelis Apostolii manu, itaque non ante annum 1453. scriptus, quo ille, Constantinopoli expugnata, in Italiam fugit, et de litteris Graecis huiusmodi operibus faciendis bene promeruit, Bessarionis cardinalis Bononiensis auctoritate adductus. Eiusdem manu alter Palatinus est scriptus.

Sextus item chartaceus nr. 1404. totidemque libros, excepto octavo, complectens, olim Tellerianus, saeculo XV. scriptus esse dicitur.

Hi sex omnes, quisque sua virtute, praestantes eius sunt familiae, ex qua nata est Erasmiana Ptolemaeeae orationis recensio. Neque igitur illas lacunas, quas cum Latinis interpretibus Bertius indicat, isti codd. Graeca oratione explent quibus ad manum fuit alterius familiae codicum Graeca oratio. Codd. nr. 1401. et 1402. ubique fere inter se consentiunt, nisi alter passim deficit. Quocirca verisimile est, aut alterum ex altero aut utrumque communi ex fonte ductum esse: quamquam non facile quisquam negaverit, hos sex omnes eamdem habere originem. At tamen codd. 1404. et, qui ex hoc, opinor, fluxit 1403. libro VIII. carentes aliunde nati videri possent, nisi etiam codicem 1404. cum cognato suo 1403. primum sine libro VIII. scriptum esse nobis fidem faceret cl. Fixius. Simillimus est autem Fonteblandensis et 1402. codicum Coislinianus non diligentius scriptus, quam collatus. Jesuitarum olim codex bonam scripturam praestat cum ceteris paene omnibus ubique conspirans, aut certe cum Fonteblandensi et Coisliniano non facile discrepans.

Porro septimus codex chartaceus nr. 1407. anno 1438. scriptus praeter alia partem Ptol. Geographiae complectitur, ubi de Asia, Libya et Europa agitur.

Codex octavus, isque chartaceus, nr. 2027. qui saeculo XV. descriptus videtur, ut alia, sic Excerpta e Ptol. Geographia continet.

Codex nonus, nr. 2423., (non 2523., ut Sicklerus retulit,) bombycinus est, Devario narrante, praeter Plutarchi, Greg. Corinthii, Procli et Joannis Alexandrini scripta quaedam

duos Ptol. Geogr. libros exhibens, inde a libri I. c. 7. § 1. ed. meae (cf. Bert. p. 9. vers. 10.) „Ἐπὶ τοίνυν κ. λ. usque ad libri I. c. 24. § 7. extr. ed. meae (Bert. p. 26. vs. 8.) τχ γραμμαί, omisso loco cap. 14. § 7. inde ab his verbis „προσνείμαιμεν ἑκατέρᾳ κ. λ.“ (Bert. p. 17. vs. 35. sqq.) usque ad capitis finem. Libri II. initium deest usque ad cap. 6. § 53. ed. m. (Bert. p. 17. vs. 10.) „Ἀντρίχονες, ἐν οἷς πόλεις μεσόγειοι“ tum sequuntur cetera libri II. cum libri III. summario usque ad § 3. ed. m. (Bert. p. 67. vss. 1 — 18.) Μυσία ἡ κάτω (vel Μυσίαν τὴν κάτω).

Denique **decimus** nr. 138. Suppl. chartaceus, qui saeculo XVI. scriptus existimatur, Excerpta e libro I. Geographiae, de parallelorum finibus et diei sub illis longitudine exhibet.

Praeterea duo sunt codices Gallici commemorandi, quorum **alter Parisiensis**, in armamentarii bibliotheca (bibliothèque du monsieur à l'arsenal) asservatur, membranaceus formae maximae, Ptolemaei geographiam cum tabb. referens; **alter Cameraci** (Cambrai) in civitatis bibliotheca exstat membranaceus f. quadr. Pt. geographiam exhibens. Utrumque memorat Hänelius Catalog. Mss. p. 317. et 113. de neutro autem habet dicere, sitne Graecus, an Latinus.

D.) Hispaniae codex Toletanus.

In Hispania eorum, quos Hänelius se invenisse narrat, Ptolemaeei operis geographici unus quod sciam Graecus est codex **Toleti** (Toledo) chartaceus saeculi XIV. in fol. cum commentario Theonis. Vid. Haenel p. 996. Ceteri, quos ille quidem memorat, omnes sunt Latini. De his igitur postea seorsum agendum videtur.

E.) Britannici.

Duo sunt codices Oxonienses, de quibus cf. Bibl. Bodl. Mss. Selden. B. 45. et 46. Montfaucon. Bibl. bibll.. p. 658. et Raidel p. 16., alter nr. 3375. partim membranis, partim chartis compositus, alter nr. 3376. (non 3367. ut scr. Raidel). De his Zeunius meus mihi scripsit se a cl. Bernsteinio Vratislaviensi

certiorem factum esse, et ab hoc collatorum quorumdam locorum documentis additis fecit, ut, quum posteriorem priore emendatius scriptum esse iudicaret, ego facile in eamdem sententiam concederem. Ex iisdem speciminibus cognovi utrumque eiusdem esse familiae, cuius Ingolstadtiensem, recensionis Erasmianae fontem. Praeterea notum est etiam eosdem codices iam olim collatos esse a Gravio, a quo Ptolemaeeae Arabiae recensio curata est ad fidem codicis Saviliani praestantissimi. Vid. Fabricii Bibl. Gr. T. V. p. 274. Hanc enim geographiae partem a Ptolemaeo accuratissime elaboratam esse iuxta cum Stephano Byzantino acute iudicabat. Tum Raidelius, Bernardi Catalogum Mss. Angliae et Hiberniae secutus, codicem Geographiae Pt. cum scholiis Nicephori Gregorae ex parte mutilum, duos olim Isaaci Vossii, tum vero eiusdem iam bibliothecae codices (nr. 2325. et 2395.) atque ipsius Bernardi librum Ms. nr. 7417. denique Excerpta e Petri Bembi codice et Epitomen cod. cuiusdam incogniti commemorat. His igitur tribus fragmentis omissis Raidelius sex omnino codices Mss. norat, quibus hodie non plures accesserunt.

II. Opus partim Graece, partim Graece et Latine vel Gallice editum.

1) *Γεωγραφικῆς ὑφηγήσεως* libri VIII. Graece, cura Erasmi Rotterodami (e codice Fettichii medici Ingolstadtiensis) Basil. 1533. f. quadr.

2) Graece Paris. ap. Wechel. 1546. f. quadr.

3) Graeco-Latini — Latine primum recogniti et emendati cum tabulis geogr. ad mentem auctoris restitutis per Gerard.

Mercatorem — iam vero ad graeca et latina exemplaria a Pt. Montano iterum recogniti et castigati. Amstelod. et Francof. ad M. ap. Iod. Hondium et Corn. Nicolai. 1605. f. max.

4) Theatrum geographiae veteris: Vol. II. quorum priore continentur Ptolemaei geographiae libri VIII. Graece et Latine. Graeca ad codd. Palatinos collata, aucta et emendata sunt, latina infinitis locis correcta op. Petr. Bertii. Amstelod. ap. Iod. Hond. 1618. Acc. tabulae geogr. a Mercatore restitutae. f. max.

5) Graece et Gallice ed. Halma. Paris 1828. (vid. Intpp. Gall.)

Iam superiore tempore Petrus Apianus, Pirckheymer, Isaac Vossius, Ed. Bernardus, Iac. Gronovius, (vid. Raidel p. 81.) Köberle, rector scholae Memmingensis (cf. Bernoulli Itiner. VII, 263.) Ptolemaei geographiam Graece edere pararunt. Nuper Manes breve specimen editionis Graecae edidit Paris. 1830. paullo post operi fatis ereptus, collatione unius cod. Parisini librario relicta. Sickler idem opus moliens a. 1833, programmate Hildburghusano speciminis loco Germaniam (II, 11.) e quattuor codd. Mss. Pariss. et Vindobonensi edidit. Ego duo duarum editionum maioris et minoris specimina, c. varietate scripturae Parr. unum lib. I. cap. 1. init. anno 1836., alterum, praemissa Furiae narratione e codd. Florentinis, lib. II. cap. 11. init. anno 1837. proposui. Nuper anno 1838. F. G. Wilberg editionis maioris fasc. 1. quo liber I. Graece et Latine cum varietate lectionis e duobus Pall. et septem Parisinis et cum obss. continetur, emisit.

III. Interpretes. *a.* Latini.

Ptolemaei geographia, renato in Italia litterarum antiquarum studio, Latine scientibus ad terras cognoscendas maiori videtur fuisse usui, quam Graece doctis hominibus. Iam

tum quidem, opinor, interciderat Latina Boethii interpretatio. Tum vero primus Iacobus Angelus, de Scarparia sive Florentinus, opus illud Ptolemaeeum, quod Cosmographiae titulo inscripsit, a Manuele Chrysolora Latine reddi coeptum, ut fama est, anno MCDIX. aut X. ad umbilicum perduxit: vid. Negri De scriptoribus Florentinis, Raidel p. 21. Adelung. Suppl. ad Iöcherum, et Lessing Opp. collect. Tom. XV. p. 68. Quod quidem antequam typis expressum vulgari posset, permulta eius exempla scripta ex Italia in reliquas Europae regiones, Hispaniam Galliam Helvetiam Germaniam et Britanniam, sunt perlata. In his vero tanta est maxime nominum et numerorum discrepantia, ut mirandum sit, qui ex uno fonte derivata exemplaria in tantum et variari et vitiari potuerint. Magna autem naevorum pars, dubium est, utrum scribis vitio danda sit, an interpreti. Hunc ipsum Io. de Regio monte et Gesnerus accusare non dubitant. Et vero codices ipsi emendati videntur, ut Norimbergensis minor. Atque alium eiusdem urbis codicem Trapezuntii manu correctum scribit Saubertus Or. II. de Biblioth. Nor. cf. Raidel p. 23. Deinde inventa arte typographica, exstitere, qui vel Angeli interpretationem emendarent, ut Domitius, M. Beneventanus cum I. Cotta, Sylvanus Eboliensis, Aesslerus, alii, vel Ptolemaei opus de integro interpretari aggrederentur, in his Wernerus et Pirckheymerus.

1. Codices Latinae interpretationis Mss.

Qui codices incertum erat Graecene an Latine essent scripti, eos in Graecorum numero recensui, ita ut non diffiterer dubiae eos orationis esse mihi videri. Qui a litteratoribus produntur codices Cosmographiae titulo inscripti, eos, quum ex hac ipsa Angeli praescriptione Latinos esse cognoscerem,

vel hanc unam ob caussam in Latinorum numerum referre non dubitavi.

A.) Italici.

a.) *Romanus.*

Romae in Basilicae S. Petri tabulario Ptolemaei Cosmographiam suo tempore asservatam esse scribit Montfaucon. Bibl. bibll. p. 156. C. Quo titulo ipsa vox Cosmographiae codicem Latinae Angeli interpretationis esse arguit.

b.) *Caesenatensis.*

Caesenae in urbis bibliotheca cod. Cosmographiae commemoratur a Montfaucon. Bibl. bibl. p. 434.

c.) *Florentini.*

Florentiae in bibliotheca magni ducis Medicea Laurentiana primum plutei XXX. codices latine scripti numero quinque 1. 2. 3. 4. et 5., isque papiraceus Ferrariae per Jo. de Reno de Dynsslaken a. 1436. scriptus, a Montfauconio Bibl. bibll. p. 301. deinde ab eodem rursus duo, arm. IV. nr. 30. alter arm. IV. nr. 35. memorantur: cf. Montf. l. l. pag. 428. sq. Ceterum hi omnes Angeli sunt interpretis. Denique idem in Diár. Ital. p. 409. esse in bibliotheca Canonicorum regularium Pt. geographiae codicem testatus est, qui Latinusne sit et ubi nunc lateat, nescio.

d.) *Mediolanensis.*

In bibliotheca Ambrosiana, quae aevo nostro Máii studiis maxime inclaruit, multis antiquitatis monumentis excellente, Latinum est exemplum Ms. Ptol. operis geographici, inde a Montfauconii temporibus haud ignoratum: Cf. Bibl. bibll. p. 495. a quo diversum videtur, quod Jac. Angelus in prooemio ad Gregorium XII. huius nominis pontificem Romanum memorat, et Montfaucon. l. l. p. 512. Idem in Bibl. bibll. p. 1200.

C. codicem refert esse in bibliotheca abbatiae S. Petri dioecesis Ambros., quo et alia quaedam, et liber Ptolemaei geographicus contineatur, quem Latine scriptum esse, quam Graece, credibilius est. Graecum enim idioma sine dubio diserte indicaret litterator diligentissimus.

e.) *Venetus.*

Venetiis Mabillon (in Museo Ital. T. 1. p. 37.) testis est suo tempore in bibliotheca monasterii Canonicorum regularium Latinum fuisse codicem; quem etiam Fabricius in Bibl. Gr. l. d. commemorat, Raidelius autem monasterii incendio exeunte saeculo XVII. una combustum esse suspicatur.

f.) *Patavinus.*

Addendus est Patavinus codex Latinus, quem Fichetus eius urbis civis quondam possedisse dicitur: (cf. Raidel. p. 25.).

g.) *Taurinensis.*

Est etiam in bibliotheca Taurinensi regia codex formae maximae chartaceus nr. CDXCIII. k. III. 30. saeculo XV. scriptus, Ptolemaei Cosmographiam e Graeco in Lat. a Jac. Angelo conversam referens. Praemissa est interpretis epistola ad Alexandrum V. cf. Fabric. Bibl. Gr. T. V. p. 473. et Negri Biblioth. scriptor. Florentinor. p. 43. adde Pasini Codd. Mss. biblioth. reg. Taur. Athenaei Tom. II. p. 113. et Montfaucon, Bibl. bibll. p. 1401.

h.) *Neapolitanus.*

Denique Neapoli in bibliotheca S. Philippi Nerii asservatur, saeculi XV. extremi codex Ms. membranaceus in fol. Angeli conversionem continens, picturis maxime conspicuus. Cf. Blumii Bibl. libror. Mss. Italica p. 219.

B.) Germanici.

a.) *Norimbergenses.*

Norimbergae tres sunt codices saec. XV. Latini, ut Mannertus (Geographie der Griechen und Römer 1, 170 sq.) et Raidelius (l. l. p. 23. et 26.) memorant. Clarus fuit Ebneri, clari Norimbergae superiore saeculo patricii, membranaceus formae maximae et splendidissimus cum tabulis XXVII. per Nicolaum, cuius nomen subscriptum est, i. e. ut arbitrantur, Donis. Hic codex, ubi nunc sit, nescio. Unus, qui olim fuit Jo. Regiomontani, nunc est bibliothecae urbicae nr. 24. item membranaceus in fol., cuius descriptio non in saeculum XV., sed in XVI. initium cadit. In fine enim notatus est annus 1502. Titulus autem cum libri I. et summario et principio deest ad haec usque verba cap. §. 2. ed. meae Τῆς δὲ γεωγραφίας ἴδιόν ἐστι τὸ μίαν τε καὶ συνεχῆ — Incipit enim ab his vocabulis: „cognitam ostendere." Libri autem octavi plerisque omissis nonnisi breve summarium exhibet, quod est in Pirckheymeri interpretatione Latina p. 145 a (ed. Munsteri Basil. 1542). „Ne eadem bis ponamus" usque ad p. 146. ed. Basil. „cum caeteris insulis circa ipsam." Accedunt etiam omissis quattuor Agathodaemonis vel Nicolai Donis, XXIII tabulae geographicae, eaeque formis Ulmensis edit. (a. 1482.) denuo exscriptae. Sequitur Registrum super tractatu de tribus orbis partibus. De confusis in hoc codice numerorum rationibus vide sis quae in Specimine edit. Geogr. Ptol. a. 1836. exposui pag. 8. Deinde alter est eiusdem bibliothecae papiraceus folii minoris nr. 55. qui tabulis caret, litterarum ductu meliore, quam accuratiore scriptura et anonymi emendationibus, additamentis ac brevibus scholiis conspicuus. Utrumque enim huius bibliothecae codicem satis novi, quem ego pariter contuli, ac Mannertus, cuius collationis exemplum exc. Neumanni Monacensis benevolentiae debeo. Denique vero tertius Norimbergensis, Trapezuntii manu correctus, Raidelio l. l. p. 23. memoratur, tum vero deperditus existimatus. Est autem hic codex papiraceus, quem b.

Stieglitzius, Procos. nuper Lipsiensis, rogatu meo investigavit, in illa bibliotheca Centur. V. nr. 62. isque chartaceus 264 foliis compositus, emendatam a Trapezuntio interpretationem Latinam multasque de situ planetarum et distantia rationes continens sine tabulis geographicis.

b.) *Trevirensis.*

Deinde Trevirensis codex Latinus iussu Nicolai de Cusa Cardinalis scriptus, ex ipso Jac. Angeli autographo fluxisse creditus, in primis laudatur Raidelio l. l. p. 24. sq.

c.) *Württembergensis.*

Tum vero Wolffeggensis saec. XIII. codex Latinus, de quo, ut dixi in primo Specimine ed. Geogr. Ptol. p. 10., clarissimus Paully Stuttgartiensis ad me litteras dedit, quo in numero et loco sit habendus, mihi nondum exploratum est.

d.) *Jenensis.*

Porro Jenae dicitur esse Latinus Geographiae Ptolemaeeae codex, collatus a b. Wilhelmo, cuius pater Rosslebiensis gymn. rector, variae scripturae notationem se mihi transmissurum paullo post filii mortem benevole promisit. In Mylii Memorabilibus bibliothecae acad. Jen. p. 343. liber iste memoratus videtur. Doederleinius autem, clarissimus nuper academiae Jenensis theologus, possedit exemplum nunc Krusianum editionis Argentinae a. 1513. in cuius margine notata est, incertum cuius, libri varia lectio (Vid. Specim. meum p. 8.). Utriusque et Wilhelmianae et Doederleinianae collationis haud scio, an idem sit fons Jenensis.

e.) *Gorliciensis.*

Denique in Gorliciensis gymnasii bibliotheca secundum Knauthii Catalogum p. 19. exstat codex Cosmographiae Latinus cum tabulis geogr. illum.

C.) Helveticus.

Basileae est Ptol. geographiae Latine conversae codex papiraceus, cum Graecis codd. in textu quem dicunt et numeris collatus a Ioanne Regiomontano scriptus p. 521.

D.) Batavici.

In Lugdunensi bibliotheca, secundum Catalogum p. 372. et 374. duo sunt Isaaci Vossii codices Latini papiracei, quorum uterque Cosmographiae libros VIII cum Iac. Angeli epistola ad Alexandrum V. Pontif. Rom. complecti dicitur.

E.) Gallici.

1) Primum in Parisiensi bibliotheca armamentarii (bibliothèque du monsieur à l'arscnal) Haenelio in Catal. Mss. p. 323. testante exstat codex formae max. Ptolemaei geographiam versibus Italicis redditam continens, in regia autem eiusdem urbis, ut Montfaucon tradit (Bibl. bibll. p. 751.), quinque nr. 4676. seqq.

2) Tum Lugduni Gallorum est codex membranaceus formae maximae, Ptolemaei Cosmographiae titulum prae se ferens. Cf. Hänel. Catalog. Mss. p. 192.

3) Denique Remis est cod. membr. f. quadr. Ptol. Cosmographiam continens a Iac. Angelo Latine redditam: vid. Hänel l. l. p. 406.

F.) Hispanici.

In Hispania multa esse Ptolemaei operis exemplaria, ut per se erat credibile, ita non latuit sagacitatem Haenelii nostri, in cuius Catalogo Mss. saltim duodecim notantur, qui Latini esse videntur, codices. Sunt autem duodecim in Scoriali (S. Lorenzo del Escorial) 1 R. 14. — 1 Φ 5 — II Τ 10 — 1 Υ 14 — 1 Σ 11 — 1 Σ 19 — III Σ 13 — 1 Χ 12 — II Φ 3 — 1 Τ 14 — III Υ 21. et Valentiae unus formae maximae membranaceus cum tabulis geogrr. cf. Hänel p. 928. et 1001.

G.) Anglicani.

Raidelius l. l. p. 25. e Catalogo Mss. Angliae et Hiberniae Ptolemaei Geographiae codices Latine scriptos refert fuisse 1.) unum collegii Mariae Magdalenae 2) alterum n. 1905. in fol. inter codices collegii Etonensis 3) tertium, Eboracensem in Isaaci Vossii codd. nr. 2395. (cf. Montfaucon Bibl. bibll. p. 678.) 4) quartum inter libros Roberti Burscough nr. 7699. 5) His addendus est alter Eboracensis nr. 2425., qui item Is. Vossii olim fuisse dicitur, a Montfaucon. l. l. p. 678. memoratus.

2. Interpretum Latinorum libri editi.

A.) Iacobi Angeli.

1) Bononiae 1462. immo aut 1472. aut 1482. (cf. Raidel p. 39. et Ebert. Lex. bibliogr. II, 544.) cum castigationibus Hieronymi Manfredi et Petri Boni. Impressit Dominicus de Lapis fol. max. Accedunt 26 tabb. geogrr. Haec editio incorruptam Iac. Angeli interpretationem continere Raidelio videtur.

2) Vicentiae 1475. fol. impressa a Levilapide (Leichtenstein) Coloniensi, edita ab Ang. Vadio et Barnaba Picardo. sine tabb. geogrr. Cf. Maittaire Annal. typogr. I. 349. Raidel 42. Ebert. l. l.

3) Romae 1478. fol. max. Pt. Cosmographia typis expressa ab Arnoldo Buckinck Germano, Latine reddita ab Angelo, emendata a Domitio Calderino, Veronensi. Additae sunt 27 tabb. geogrr.

4) 1482. a) Ulmae fol. max. typis exscripsit Leonh. Holl Cosmographia lat. reddita ab Angelo, curam mapparum adhi-

bente Nicolao **Donis** Germano. Qui quanto accuratius emendavit et auxit tabulas, tanto pluris fieri solet haec editio. Cf. Mannert. (Geogr. d. Griech. u. Röm. I, 171.) Insunt autem praeter XXVII Ptolemaei vel Agathodaemonis etiam V emendatoris, summatim igitur XXXII tabulae.

b) Romana huius anni ed. iam addubitata a Raidelio p. 46., plane dinumeratur ab Eberto p. 545.

5) Ulmae 1486. Cosmographia lat. redd. ab Angelo, adiectis tabulis (32) Donis studio auctioribus et emendatioribus vulgata impensis Iusti de Albano de Venetiis per provisorem suum Io. Reger. fol. max.

6) Romae 1490. fol. max. arte et impensis Petri de Turre. Cosmographia Lat. reddita ab Angelo. Tabulae geogr. prorsus eaedem huic cum editione anni 1478. Romana communes sunt. Cf. Mylii Mem. Bibl. acad. Ienensis.

Eodem anno Venetiis Cosmographiam esse publicatam, non est credibile; quamquam Raidelio (p. 49.) Mercator eius se exemplar vidisse in prooemio ad geographiam Pt. Graece et Latine editam testari dicitur. Neque enim huius testimonii Mercatorii neque illius editionis Venetae ullum usquam vestigium apparet.

7) Romae 1507. (ut est in calce planisphaerii, 1508. in titulo) fol. max. impressit Bernardinus de Vitalibus Pt. geographia a plurimis viris emendata et cum archetypo Graeco ab ipsis collata. Schemata cum demonstrationibus suis a M. Beneventano et I. Cotta. Insunt tabb. geogrr. XXVII editionum a. 1478. et 1490. VII novis auctae.

8) Venetiis **1511.** fol. max. Pt. liber Geographiae cum (30) tabb. geogr. et in his universali. Addita sunt nomina locorum recentioris aevi et Adnott. Bn. Sylvani Eboliensis.

9) Argentorati 1513. fol. typis exscripsit J. Schott. Pt. Geographiae opus novissima traductione (immo Iac. Angeli, vid. Ebert. l. l. p. 546.) e Graecorum archetypis castigatissime pressum. Iacobus enim Aesslerus nomina Graeca ad fidem codicis Pici de Mirandola adscripsit. Cf. Mannert l. l. I, 170.

10) Norimbergae. 1514. fol. typis excudit Jo. Stuchs. Nova translatio libri I. geographiae Jo. Wernero interprete. Quae si absoluta esset, non inter Angelicas conversiones numerari posset, ab his valde discrepans. Wernerus enim mathematicas rationes melius dicitur perspectas habuisse, quam Angelus.

11) Argentorati 1520. impr. Jo. Schott, fol. Ptolemaeus auctus, restitutus, emendatus cum tabb. vet. et nov. (XLVII).

12) Argentorati 1522. fol. typis expressit J. Grieninger. Cosmographia Latine, cum neotericorum perlustrationibus et XLIX. tabb. geogrr. (ed. Phrisius).

B.) Bilibaldi Pirckheymeri.

13) Ibidem 1525. eiusdem officinae impensis ed. fol. Ptol. geogr. enarrationis libri VIII Bilib. Pirckheymero interprete. Adnott. J. de Regio monte in errores commissos a Jac. Angelo in translatione sua. Insunt L tabll. geogrr. Huius editionis exemplum Dresdense, Eberto teste l. l. p. 546., insigne est additamentis Mss. Serveti editione anno 1541. evulgatis. Manum Serveti esse, incertum unde, indicat Catalogus bibliothecae Bünavianae, ex qua illud exemplum translatum est in regiam.

14) Lugduni 1535. fol. ap. Melch. et Gasp. Trechsel. Ptol. geogr. enarrationis libri VIII ex Bil. Pirckheymeri translatione, sed ad Graeca et prisca exemplaria a Mch. Villanovano (Serveto) iam primum recogniti. Adiecta sunt insuper ab eodem scholia, et L. tabb. geogrr.

15) Coloniae Agripp. 1540. 8. typis expr. J. Ruremundanus. Pt. libri VIII de geographia e Graeco denuo traducti J. Noviomagi opera. Nunc primum in lucem editi. Noviomagus Latinis Graeca nomina apposuit.

16) Basileae eod. anno fol. ap. Henr. Petrum Geographia universalis vetus et nova complectens Ptolemaei libros VIII cum commentariolo, scholiis et L tabb. geogrr. a Seb. Munstero novo modo paratis.

17) Coloniensis altera anni 1541.

18 et 19) Basileenses a. 1541. et 1542. quae ab edit. a. 1540. Munsteriana non nisi titulo differunt.

20) Basil. a. 1545. Haec, ut cl. Wernerus mag. gymn. Servestani, cuius in bibliotheca exemplar exstat, mihi scripsit, plane nova est: quamquam, ut in libro Ms. litteraturae geogr. Ptol., quem Sillligii benevolentiae acceptum refero, adnotatum est, quarta est Munsterianae interpretationis immutata editio.

21) Basileensis a. 1547. Haec editio, quae in Litteratura Anonymi Ms. memoratur, paucis cognita, a Raidelio et iuxta cum ceteris Basileensibus ab Eberto omittitur.

22) Basileensis a. 1552. adhuc Munsteriana. Cf. Raidel. p. 64.

23) Ingolstadtii a. 1553. liber I. Ptolemaei Geogr. (antea Norimb. a. 1514. imp.) cur. Petr. Apianus, qui ceteros adiecit, item iam antea Ingolstadtii 1532. typis expressos.

24) Basileensis anni 1558. Ernest. Bibl. p. 133. et litteratura Anonymi Ms. memoratur, de qua non magis exploratum est, quam de annor. 1582. et 84. edd. Basil. de quibus V. Raidel. p. 66.

25) Venetiis 1562. fol. quadr. impr. Valgrisius. Pt. Geographia cl. a Bil. Pirckheymero translata, at nunc multis codd. Graecis collata et ad pristinam veritatem reducta; cum LXIV tabb. geogrr. cf. Raidel. p. 65.

26) Venetiis 1564. Ptol. geogr. Latine c. tabb. memoratur in Litt. Anonym. Ms. eaque ignorata Raidelio aliisque ex ed. a. 1562. repetita videtur.

C.) Gerardi Mercatoris.

27) Col. Agr. a. 1584. fol. max. impr. Gf. Kempensis. Ptol. geogrr. libri VIII. recogniti iam et diligenter emendati cum tabb. geogrr. ad mentem auctoris restitutis et emendatis per Ger. Mercatorem. Additae sunt tantum XXVII tabulae geographicae, iam a. 1578. evulgatae, ceteris superiorum edd. abiectis ad Ptolemaeum non pertinentibus.

28) Venetiis a. 1596. f. quadr. ap. heredes Simonis Galignani de Karera; et

29) Colon. Agr. a. 1597. f. quadr. repetita a Petr. Keschedt, Tomm. II., quorum prior Ptolemaei orationem Latine conversam complectitur, posterior praeter antiquas tabulas geographicas XXXV novas et adnotationes Magini et superiorum intpp. Ceterum Veneta editio multis mendis typographicis scatet, Coloniensis est multo emendatior. (cf. Raidel. p. 66. et Ebert p. 547.)

30) Coloniensis edit. a. 1608. f. quadr.

31) Bononiensis anni eiusdem ex Magini editione repetita. V. Raidel. p. 68.

32) Arnhemiensis anni 1607. aut 1617. (duas seorsum memorat litterator anonymus meus) ad exemplum Venetum recusa videtur: Vid. Raidel p. 69. et Ebert p. 547.

33) Regiomontii anno 1625. Pt. Geogr. Latine opera Jo. Mülleri edita: quam ex sola Anonymi mei Litteratura Ms. cognovi.

β. Ceteri interpretes.

A.) Italici.

a) Florentina Franc. Berlinghieri 1478. in folio, tabulis geogrr. additis. Cf. Catal. Bibl. de la Valliere P. 1. T. II. p. 514.

b) Venetiis 1548. Petr. Andr. Mattiola Italice convertit geographiam Berlinghierium secutus. Commentarium Munsteri et tabulas geogrr. emendatas adiecit Iac. Gastaldo.

c) Idem ibidem 1555. cf. Raidel p. 71. Hanc editionem omisit Ebert Lex. Bibliogr. Tom. I. p. 547.

d) Gior. Ruscelli novam interpretationem edidit Venetiis 1561. 1564. 1566. (1574.).

e) Hanc interpretationem correctiorem emisit Io. Malombra Venet. 1573. (1574.) 1598. (et novato titulo 1599.) form. 4. cf. Paitoni Bibliotheca degli autori antichi.

f) Eamdem auctiorem additis tabulis geogrr. edidit Cernotti Ven. 1597. in fol. cum emendationibus Io. Rosacei 1598. in 4to. 1620. (aut 1621.) in fol.

B.) Gallici.

a) Antonius Verdierius dicitur Gallice convertisse Ptolemaei geographiam, nec tamen opus suum publici iuris fecisse.

b) Traité de Géographie de Claud. Ptolémée, d'Alexandrie, traduit pour la première fois du grec en français, sur les Manuscrits de la Bibliothèque du Roi, par M. d'abbé Halma pagg. XLI. et 172. in 4to (continens librum I. et libri VII. capp. 1. et tria ultima) Paris. 1828. ap. Eberhart. Cf. Manos Prospect. p. 4.

C.) Lusitanus.

Pedr. Nunes tratado da sphera com a theorica do sol e da lua e ho primeiro livro da geographia de Cl. Ptolemeo Lisb. 1537. in fol.

Fuerunt etiam, qui Ptolemaei libros geographicos in linguas Arabicam, Persicam, Germanicam, Polonicam translatos esse dicerent. Sed temere. Vide Raidelium p. 72.

IV. Fragmenta interpretationum.

1) Io. Wernerus, ut vidimus, geographiae Ptol. librum I. Latine conversum Norimbergae 1514. edidit, aliquoties postea repetitum.

2) Gravius Ptolemaei Arabica Graece et Latine edidit Londinii 1650. Postea rursus sunt edita in Hudsoni Geographiae veteris Graecis scriptoribus Tom. III. anno 1720.

3) Germania Ptolemaei Graece et Latine (II, 11.) in Germaniae veteris descriptionibus ex probatissimis auctoribus edita inde a pag. 113. — 165. a Io. Pappo Argent. 1591. 8.

4) Halmae Interpretatio Gallica. V. Intpp. Gall.

V. Commentatores.

1) Raidelius l. l. p. 73. Nicolaum Donis monachum ordinis a Benedicto appellati extr. saeculo XV. vigentem, iure primum geographiae Ptolemaeeae commentatorem numerat. Ab hoc secundus est Ioannes Regiomontanus, exeunte saeculo XV. clari vir nominis adnotationes in librum I. reliquit, quas postea Pirckheymerus Argentorati 1525. edidit. Tum Io. Wernerus ineunte saec. XVI. in librum I. commentatus est. Sequitur qui ei aequalis fuit, laudatus apud Tubingenses disciplinarum mathematicarum doctor Io. Stöfler, qui ineditos commentarios in librum I. et ad II. usque libri cap. 11. Mss. bibliothecae academicae reliquit. Porro Io. Ziegleri varia in Pt. geographiam Anecdota Mercatori usui fuisse dicuntur. A Raidelio l. l. ut alios taceam, quorum nomina tantum memoriae produntur, etiam Mich. Servetus, Munsterus, Ruscellius, Moletius, Maginus, Berlinghierius hunc in censum vocantur.

2) Addenda autem haec videntur: „Ortelii Nomenclator Ptolemaicus.“ Antwerpiae 1579. in fol.

3) Stobnitzae Introductio in Ptolemaei Geographiam. Cracoviae 1519. form. quadr. cuius exemplum est in regia bibliotheca Dresdensi. Vid. Ianotzkii Nachr. von Zalusk. Bibl. IV, 124.

4) Ge. Martin. Raidelii Commentatio critico-litteraria de Ptolemaei geographia eiusque codd. tam Mss. quam typis expressis Norimbergae a. 1737. form. quadr.

5) Deinde in Orphanotrophei Halensis bibliotheca scholastica asservantur „Notae (Anonymi Mss.) in Ptol. Geogr. cum indice provinciarum," qui e codice Ms. Sabaudiensi a Colvillo descriptus est. Istae adnotationes, quarum usum clarissimi Ecksteinii amicitiae debeo, XI paginis form. quadr. continentur, et, qua sunt brevitate compositae et litteris minutis angustisque lineis scriptae, ad haud paucos omnium deinceps librorum locos pertinent. Inest etiam Vita Ptolemaei e Graecis schedis Savilianis descripta.

6) Memoranda est Reinesii Adnotatio exemplo Cizensi Graecae Ptol. Geogr. edit. Basil. 1533. in margine adiecta, cuius inspiciendi copiam mihi exc. Kiesslingius fecit. Maximam partem adnotata sunt antiquis hodierna locorum nomina.

7) Iustini Eliae Wüstemanni Disp. De urbibus Germaniae magnae apud Ptolemaeum Vitebergae a. 1755. form. quadr.

8) Ge. Frid. Bermanni P. I. De Geographicorum, quae sub Ptolemaei nomine circumferuntur, fide et auctoritate. Vitebergae a. 1764. form. quadr.

9) Mannert in seiner Geographie der Griechen u. Römer: Ueber die Aechtheit u. Verfälschungen des Ptol. Textes.

10) Meine Uebersicht der Theilzeichen der Grade bei dem Ptolemäus in seiner politischen Geographie (lib. II. — VII.) in Matthiä's Griech. Gramm. 1, Th. unter d. Zusätzen 2 Aufl. cf. Wilberg de Ptolemaei ratione graduum partes ceteras in lib. I. et VIII. numerandi, ed. Fasc. I. p. 32. sqq.

11) Ueber die Benutzung des Ptolemäus bei der alten Germania. Fr. C. G. Kruse. (In dessen Archive für alte Geographie der Germanischen Volkstämme Hft. I. 1821. cf. eiusdem Budorgis.

VI. Collationes.

1) In Basileensi bibliotheca exemplum est editionis in eadem urbe anno 1533. typis expressae, emendationibus margini additis insigne, quo Nic. Heinsius usus esse dicitur. Cf. Raidel p. 16.

2) Lugduni Batavorum in biblioth. acad. exstat Index varietatis lectionum utriusque codicis Palatini a Sylburgio a. 1546. compositus, quo iam Bertius usus est in edenda Ptolemaei Geographia, et cuius apographum F. Wilbergius possidet.

3) Hinc fluxere etiam illae lectiones (lib. I. cap. 1 — 14.) „Mss. Readings in Bertius's Ed. of. Ptolemy" quas Fr. Creuzer Friedemanno et Seebodio misit, in horum utriusque Misce. crit. Vol. II. Partic. 1823. pag. 572. sqq. publicatas. Sylburgio eas deberi testis est Wardius in epistola ad Richardum Ellys. Quae idem de codice tradit, non dubium est, quin Palatinus alter sit intelligendus, ut qui sit Michaelis Apostolii manu scriptus. Cuius autem bibliothecae exemplo scripturae varietas sit adiecta, non habeo dicere. Sunt enim complura in Angliae librorum Ptol. geogr. Graece editorum exempla, huiusmodi adnotationibus Mss. insignia, quorum mentio facta est in Bibliothecae Bodleianae Catalogo.

4) In Lipsiensi bibliotheca senatoria est exemplum edit. Wechelianae Paris 1546. cuius in margine non modo Palatinae lectionis varietas, sed etiam duorum aliorum bibliothecae Vaticanae codicum, in his nr. 177. et Barberiniani codicis discrepantia adnotata est tam nitida, quam H. Stephani, manu. Accedit saepe etiam Anonymi sive coniectura, sive variae scripturae notatio. Quae quo accuratius dignoscerentur, ter deinceps collata suo quaeque in loco ponenda curavi.

5) Xylander possedit olim exemplum editionis a. 1546. cum collatione codicis Ms. et Salmasii emendationibus. Quod sitne superstes necne, incertum est. Hoc vero Lipsiense

illud bibl. sen. exemplum esse non crediderim, ut in quo plurium codicum notata sint discrimina.

6) Io. Chstphri. Doederleinii theol. nuper Ienensis Collatio editionis Argentinae (a. 1513.) cum codice Latino nescio quo perpetua fere est a libro II. usque ad octavi tabulam Libyae I. Hoc exemplum, quod a filio, qui nunc academiam Erlangensem ornat, Mollweidius olim noster acceperat, Krusius Dorpatensis nunc possidet. Cuius exempli copia ab hoc amico *mihi* facta, ego lectionem Argentinae editionis et istius codicis varietatem cum eo, quod ipse scripseram, geographiae Ptolemaeeae exemplo Graeco contuli.

7) Quam Manos novae edit. specimine a. 1830. Paris. edito notus reliquit, non nisi trium est codicum Parisiensium cum exemplo edit. Basil. a. 1533. instituta collatio. Substitit ille ad libri VI. initium, non cunctorum ubique, sed saepe singulorum codicum vestigia secutus. Hanc vero collationem redemit Diderotius typographus.

VII. De tabulis geographicis.

Omnis Ptolemaei expositio geographica est eiusmodi, ut et suam ipse rationem iniisse, alienam autem haud temere secutus esse, et locorum situm et fines non potuisse tam accurate exponere existimandus sit, nisi tabulas geographicas in oculis ferret, suapte ratione delineatas. Quam ob rem ego quidem plane non dubito, quin, etiamsi Graecorum Romanorumque sive narrationes sive imagines sequeretur, tamen ipse sibi suas terrarum tabulas adumbraret, et ex harum, quas intueretur, quasi quodam filo narrationis suae telam contexeret. Ita quidem factum est, ut, ubi doctrinae suae rationes explicaret,

in libris I. et VIII. in constituendis gradibus accuratiore numerorum calculo uteretur, quam mediis in libris, ubi ne ipse quidem saepe haberet nisi de coniectura dicere, quibus quaeque loca gradibus assignaret. Quod si vel suam opinionem sequeretur, vel alienas, atque, ut tum erant tempora, Romanorum maxime sive narrationes sive tabulas: consultius duxisse mihi videtur, locorum situm aut terminos quinarum cuiusque gradus, quam singularum minutiarum sexagesimarum, ratione definere, vel si placet, omissa computatione simplicius gradum ad duodenas particulas sive Romani assis calculo ad uncias redigere, hoc modo positionis rationem reddere, quam accuratiore calculo, eoque ne ad historiae quidem fidem composito. Hoc quidem adeo clarum est, ut Wilbergiana demonstratione non opus fuisse existimem. Quicumque antiquiorum interpretum Latinorum rationem unciis ad Graecam orationem accommodate graduum minutias in mediis libris designandi, et recentiorum consuetudinem hos numeros fractos ad sexagesimas revocandi noverit, utramque rationem diu notam esse et alterius more Romano explicandae modum a facilitate commendari, nisi inepte rimari velit, facile fateatur.

Sed, ut ad propositum redeam, Ptolemaei quidem tabulae iam antiquitus deperditae fuisse videntur. Agathodaemon igitur, sive, ut est in Graecis quibusdam codd. Mss., Ἀγαθὸς δαίμων, qui quis aut quando fuerit, non magis constat, quam, utrum ipse personatus sit Ptolemaeus, nec ne, non multo quidem post Hadrianum, sub quo geographus noster vixit, ad auctoris mentem tabulas geographicas composuit. Quae incertum est, utrum minus depravatae sint, quam scriptoris oratio. Quocirca saepe iudicium aequa lance suspensum haereat necesse est, sitne scriptoris ad scribarum, an ad pictoris fidem restituenda narratio.

Ut nunc res est, tabulae non sane antiqua fide omnes praestant, laudabili saepe intelligentium studio refictae aut saltim mutatae. Quae earum fata fuerint, si quis vel ex indice librorum cum mappis editorum, vel ex eo, quem adscribam, brevi censu perspexerit, laetus, opinor, novissimorum temporum progressus hoc in

genere et virorum doctorum consilia hae de re proposita lustraverit.

Agathodaemonis tabulae geographicae plerisque codicibus Graecis sunt additae, et in his Vindobonensis, Venetiis maior, Parisiensis nr. 1401. aliique auri et colorum splendore excellentissimae esse dicuntur. Eiusdem nomine tabulae etiam Latinis codicibus Mss. adiectae sunt, Graecis nihil ornatu cedentes. Ac vel in adornandis terrarum imaginibus, quae cum libris edebantur, magna multorum fuit aemulatio. Sed his quidem non tanta fides deberi videtur, magis magisque immutatis. Primus Fr. Maurus Camaldul. a. 1460. in tabulis geographicis rectius constituendis operam ponere coepit. Mox (1482.) Nicolaus Donis illas emendare conatus est, et vulgi ad usum pro Graecis Latina inscribere nomina. Mercator eas insigni studio correctas primo seorsum anno 1578. postea cum scriptoris opere a. 1605. edidit. Ab emendandi studio laudatur etiam Nic. Reger, quamquam hoc levibus emendationibus contineri videtur. Nihil vero, quamquam praedicantur, emendatae sunt, quae libris edd. accedunt 1) Francof. 1695. in fol. cf. Raidel p. 79. 2) Traiect. ad Rhen. 1699. 3) Lugdun. Bat. et Trai. 1704. Repetitae sunt item neque, ut titulus prae se fert, emendatae Mercatoris tabulae in Bertii editione, cuius exempla alia aliarum rerum accessione vel omissione variari Ebertus in Lex. bibliogr. l. l. dicit. Eodem modo comparatae sunt, quae Amstelod. editione p. 1730. sunt subiectae. Recentiore tempore aliquoties sola fere generalis tabula est edita ut ab Ukerto, aliis. Accurate vero de arte in hoc rerum genere recte versandi complures scripsere. Quo loco meminisse iuvabit Io. Stabii, a quo anno 1514. Descriptio variorum modorum pingendi tabulas Cosmographiae Ptolemaei edita est.

1) Qua ratione Ptolemaeus in constituendis parallelis utatur, cf. Delambre, Histoire de l'astronomie ancienne Vol. II., p. 528.

2) Mollweide: Die Mappirungskunst des Ptolemäus, in Zach's monatl. Correspondenz XI, 319. sqq. et 504. sqq.

3) Ukert in der Geographie der Griechen u. Römer von den frühesten Zeiten bis auf Ptolemäus anno 1816. etc. a) Ueber Ptolemäus als Geograph. b) Beweis desselben über die Kugelgestalt der Erde. c) Ueber die Grösse derselben. d) Ob er der Verfasser des Almagest und der Geographie ist. e) Ueber seine Charte. f) Ueber seine verschiedenen Projectionsarten. g) Ueber Europa. h) Ueber seine Charte von Gallien. i) Ueber seine Art von Nebenflüssen zu sprechen.

4) Mannert in seiner Geographie der Griechen u. Römer Tom. I. a) Ueber des Ptolemäus Länderkunde anno 1829. sqq. b) Dass er Spanien in der Mitte zu sehr in die Enge ziehe etc.

5) Wilberg über das Netz der allgemeinen Charten des Eratosthenes u. Ptolemaeus 32 pagg. form. quadr. 1834.

CONSPECTUS.

Haec scripta sunt hactenus, ut solemnia scholae nostrae hiberna indicerem ipso die Nicolai memoriae in fastis sacro non modo pro more cantilenis canendis, recitationibus instituendis et praemiis dispensandis celebranda, sed etiam instaurandis V. S. Henrici Blümneri, sui quondam alumni, tum patroni, summis in utroque iure honoribus laetiora futura. Ad quae obeunda ut Patroni Curatores Fautores et Amici suo quisque loco digne colendi frequentes conveniant, id est, quod meo et collegarum nomine etiam atque etiam peto et rogo.

Festordnung.

I. Chorarie von Schicht, „Sieh' Vater sieh auf uns herab" ꝛc.

II. Hierauf sprechen Gedichte Deutscher Dichter:

a) der Sextaner, Conr. Rud. Fischer, aus Leipzig,
Harras, der kühne Springer, von Körner;

b) der Quintaner, Ernst Ferd. Emil Schubert, aus Leipzig,
Kitsos u. seine Mutter, nach dem Neugriech. von Schmidt=Phiseldeck;

c) der Quartaner, Karl Hermann Schildbach, aus Schneeberg,
Noah's Taube, eine Parallele von Salis;

d) der Tertianer, Allwill Bernh. Volkmann, aus Leipzig,
Uhland's Schenk von Limburg;

e) der Secundaner, Julius Wilh. Carus, aus Leipzig,
Die Ideale von Schiller.

Dann sprechen zwei Primaner eigene Lateinische Oden über das Sprüchwort, Acti labores iucundi:

f) Wilhelm Karl Wachsmuth, aus Leipzig und

g) Franz Otto Dähne, ebendaher.

III. Chor von Eberl, „Senke dich zu uns hernieder, süße Freude."

IV. Prämienvertheilung durch den Rector.

